



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egræ, 1689

Problema XXXVIII. Quomodo parvus magnus sic fieri possit, ut in cœlum
usque pertingat? Dominica VI. Post Epiphaniam. Simile est regnum
Cœlorum grano Sinapis Matth. 13.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA XXXVIII.

Quomodo parvus magnus sic fieri possit,
ut in cœlum usque pertingat ?

DOMINICA VI. POST EPI- PHANIAM,

Simile est regnum Cœlorum grano Sinapis
Matth, 13.

S I.
Sancti in
cœlo ma-
gni, quia
in terris
per humi-
litate[m]
parvi.



Ulla humana lingua explicare potest, quanti sint, quos Magnus DEus incolas Regni cœlorum facere est dignatus. Adeo nimirum magni sunt sancti, ut uni veste gloriæ amictendo aureus sol, (qui tamen, uti aliàs audivêre, sexagies est terrâ major) non sufficiat. S. Joannes Apoc. 12. v. 1. animam quandam beatam viderat sole vestitam, Lunâ calceatam. Quanta Sancti magnitudo, cui plenè vestiendo præter solem etiam Luna addenda ! S. Joannes Baptista cœlestis homo erat juxta illud Joan. 1. v. 6. *Fuit homo missus à DEO.* tantæ autem proceritatis fuit, ut manum illius imponeret vertici, nempe Christi, dum illum in Jordane baptizaret, qui stans in terra nubes, æra, imò

Seraphinos transcendit. Alium rursus aliâ vice sanctum in spiritu abreptus vidit Joannes Apocalypf. 10. de Cœlo in terram descendentem, eratque adeo magnus, ut illum terra non caperet. Unde necesse fuit, ut pede uno in terra, altero super mare staret. Et certè necessum est magnos esse cœli incolas, cum felix eorum mansio ea sit, in qua omnia magna, Civitas ipsa, Rex, Regina cum omnibus aulicis & servis. In mundo hoc quidquid est, parvum est; quia ad mentem Sapientum tota terra cum omni contento suo respectu cœli punctum minimum est. Magni necessum est sint Sancti singuli, cum singuli Joannis testimonio similes DEO, cujus teste Psalmsistâ ps. 144. v. 3. *Magnitudinis non est finis.* Quod si AA. desiderio sci-

endi

endi tenentur, unde Sancti DEI a deo magni, & per quid in tantam creverint proceritatem? responsum cum medio insinuat hodiernum Evangelium adducendo similitudinem grani Sinapis: *Simile est Regnum Cœlorum grano Sinapis, quod minimum est omnibus seminibus.* Per granum Sinapis Sancti Patres humilitatem intelligunt. *Grano Sinapis se ipsum Dominus comparavit*, notante D. Hilario in Cat. D. Thomæ, *quia fuit humilitate parvus.* Quâ similitudine nos cœlestis Magister erudire voluit, ut si quem parvitas suæ pudeat, desideretque sic magnus esse, ut ad cœlum usque pertingat, sit parvus ut granum Sinapis, id est, *humilis. quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus, hic est major,* Matth. 18. v. 5. Conclusio Christi est. Quæ conclusio, ut magnus quisque evadat, artem continet, mihi que porro probanda incumbit.

Videntur Astrologi palmarem cœlo irrogasse injuriam, dum bestias & animalia hujus terræ inter cœli sidera collocarunt. Tali modo ex cœlo, beatissima, & pulcherrima DEI & Sanctorum Urbe, bestiarum harum stabulum effecere, quando è cœlo hospitium arietis, tauri, Leonis, & complurium aliarum bestiarum fecere. Et quamvis memorata animalia omnia ob sua significata potuissent aliquâ ratione cœlo inferri, videtur tamen Canis nullo modo in Cœlo tolerandus, quem ipsemet purissimus DEI Spiritus jam olim cœlo proscriptit Apocalypsi, 22. v. 3. *Foris canes,* Scio

quidem Poëtarum commentum, quod pro Astrologorum defensione stare posset dicentium: Canem hunc à Vulcano ex ære fabricatum esse, eidemque ob operis elegantiam animam fuisse inditam, & Jovi fuisse præsentatum, ab hoc DEorum maximo cœlis & alijs stellis fuisse adnumeratum. Quod si mihi liceret meam de memorata stella Canicula sententiam dicere, dicerem per hanc significari Chananæam illam mulierem à Christo Matth. 7. v. 27. *canis* nomine nuncupatam, quæ profundissimâ humilitate ad pedes Christi prostrata pro filia incolumitate supplicans suâ humilitate tantum merita est apud filium DEI, ut non solum multum laudata, sed in ipsum cœlum referri sit merita, ubi tanquam stella lucebit in perpetuas æternitates, quod omnes corde humiles sperare possunt. *Descenderat hæc* (inquit de Chananæa Simon de Cassia de gestis Christi L. 5. c. 24.) *de altitudine animi tumescentis, se curvans ante Dominicos pedes, citò erigenda per spem. Super sidera elevatur, qui ante Christi pedes & humilitate & devotione proclivem se facit.* Mulier hæc à S. Marco 7. v. 25. *Syrophœnissa* dicitur, quod idem ac sublimis significat, quia namque humilis erat, quia canem se vocari passa, super astra est elevata. Si Lucifer ille cum suis adhærentibus humilis fuisset, supra astra (quod Isai. 14. v. 13. optabat) collocatus mansisset, quia verò superbus, cum tertia stellarum, id est, Angelorum parte è cœlo in Infernum, ut canis rabi-

§ 2.
Quid Canis
signum
cœlestis
sibi velit?

F f

F f 2

dus

227
 dus præcipitatus est. *Quicumque humiliaverit se sicut parvulus, hic est major.*

§ 3.
 Scriptura
 quam bene
 aquis com-
 paret ho-
 mines.

Homines in Scriptura sacra a-
 quis assimilantur: *Aquæ populi sunt
 & gentes.* Et alibi: *Aquæ multæ,
 populi multi.* Apoc. 17. v. 15. sed quæ
 similitudo hominem inter & aquam?
 utique multa. Aquis comparantur
 homines, quia vita humana haud
 aliter, quàm aquæ in perpetuo mo-
 tu *nunquam in eo statu permanet.* in-
 quit Job 14. v. 2. nisi hic motus ho-
 minem exerceret, si semper quietus
 & securus esset, putresceret, nihil-
 que pro anima & salute dignum a-
 geret, in salutis periculo versaretur,
 sicut aquæ stagnantes solent cor-
 rumpi. Aquæ homines dicuntur,
 quia æquales inter se existunt. *A-*
qua dicta est (inquit D. Isidorus L. 13.
 Ethymol. c. 12. *quod superficies ejus*
æqualis. Nisi enim venti superbiam
 existerent, qui homines inter se &
 contra se commovent, aliquos de-
 primunt, alios erigunt ut aquæ flu-
 ctus, nulla hominem inter & ho-
 minem esset differentia. Hæc a-
 quas Christus sitiebat in Cruce cla-
 mans, *Sitio.* Joan. 19. v. 28. Insinu-
 ans desiderium suum eos exaltandi
 in cœlum usque. Notandum verò
 est, quòd sicut aquæ naturales nun-
 quam se supra se levant, nisi priùs
 descenderint, ità quoque homines
 non sublevari in cœlum, nisi priùs
 se per humilitatem infra se & alios
 demittant. Unde monet S. Bernardus
 ferm. de Ascens. *Cupidus es As-*
cenſionis, altitudinem naturali ap-
petis desiderio? descende, ut ascendas;

228
humiliare, ut exalteris. Nisi effici-
mini sicut parvuli, non intrabitis in
regnum cœlorum.

Quantum ex scriptura colligi
 potest, duo tantum homines Chri-
 stum in vita osculati sunt, Judas pro-
 ditor, & pœnitens Magdalena. cum
 hoc discrimine, quòd Magdalena
 suo osculo merita exaltari septies in
 die ab Angelis in vita, post hanc in
 cœlum usque; at Judas in ima Tartari
 deijci. Sed quæ causa tam disparis
 effectus? Didacus Stella in Lucæ 21.
 insinuat ex diversitate loci, cui im-
 pressum osculum. Judas ori, Mag-
 dalena pedibus impressit osculum.
 Magdalena ex & cum profunda hu-
 militate, Judas ex superbo & auri a-
 vido animo; unde hic ob affectum
 superbiam deprimitur, illa ex humi-
 litate exaltatur. Audiamus Dida-
 cum: *Quantum distat osculum Jude*
& Magdalene! Judas in facie oscu-
latus est Salvatorem & perijt, Mag-
dalena in pedibus, & incolumis & voti
compos evasit. Humiles ad DEUM
accedentes justificantur, damnantur
autem elati superbiâ. Equiti illi Ro-
 mano ab Oraculo præceptum non
 fuerat, ut ad comparandum Impe-
 rium sese erigeret, & cœlo osculum
 imprimeret; sed in terram corruens
 eam oscularetur, soli enim humiles
 sublimantur, superbi humiliantur,
 juxta illud Luc. 1. *Deposuit potentes*
de sede, & exalta vit humiles.

§ 4.
 Discrimen
 inter os-
 culum
 Christo
 datum à
 Magdale-
 na, & à
 Juda.

Dominus in cœlo (ait Psalmista
 ps. 102. v. 19.) *paravit sedem suam*
& Regnum ipsius omnibus domina-
bitur. Ubi notandum, quòd Chri-
 stus sedis suæ cœlestis apparatus

§ 5.
 Cur, &
 quo modo
 Christus
 sedem su-
 am in Cœ-
 lo para-
 verit?

non

non commiserit Angelis, sed quòd proprio labore paraverit. Sed cur non Ministris, quorum tot habet millones? ut temerè non innitatur Christi solis meritis, sed propria ad-damus. Si porrò modum, quo parârît, inquiramus? Respondet S. Vincentius Ferrerius serm. Domin. infra Octav. Ascens. *Dominus para-avit sedem suam, qualiter para-avit? Per virtutem humilitatis*, juxta illud Pauli Ephe c. 4. v. 9. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit & v. 10. Qui descendit ipse est, & qui ascendit super omnes cælos. Sic enim oportebat Christum ascendere* (inquit S. Bernardus serm. 4. de Ascensione) *ut nos ascendere doceremur.* Hanc ipsam autem virtutem humilitatis artem esse quasi unicam & compendiosissimam crescendi seque exaltandi patet ex consideratione vitæ & primariorum mysteriorum Christi, in quibus invenimus quòd Christus semper, quòd minor factus per humilitatem, tantò major semper factus sit. Parvulus natus & factus est magnus DEI filius per assumptionem naturæ humanæ, & nativitatem in vili stabulo; hoc ipso quia parvus humilis factus, magnus & gloriosus effectus est. *Gloria in excelsis*, canunt in ipsius nativitate Angeli. Magi ad illum adorandum ex oriente stellâ vocantur. *Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, inquit Petrus. 1. Petri 2. v. 22. tamen minimus factus est, humiliavit se ad personam usque peccatoris, circumcissioni, quæ character peccati olim erat, se subjiciens. Mediante hâc humilitate exaltatus est, quando adeò gloriosum magnum nomen JESU illi datum, ut in illo omne genu flexatur. Ulteriùs parvus factus est, humiliavit se, quando Matth. 3. à Joanne in Jordane baptizari voluit. Vix in Jordanem descendit, vix par-

vus factus est per humilitatem, mox crescit, mox honoratur, descendente super eum S. Spiritu, & gloriosâ è nubibus sonante æterni Patris voce: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Ductus est Matth. 4. v. 1. in desertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo. Quanta humilitas! Magnus Cœli Dominus ab inferni incola permittit se tentari. Sed notate exaltationem: *Accesserunt Angeli & ministrabant ei* Profundissimam Christi humilitatem & imminutionem illius describit Joannes, Joan. 13. memorans, qualiter Christus ante ultimam cœnam se se ad pedes discipulorum, & primò quidem perfidi discipuli Judæ prostraverit, lavans eos & oscula imprimens in Sionæo cœnaculo grandi strato. Sed nec locus hic absque honore mansit, quo sic descendit Christus humilitate, quando in Pentecoste in ibidem congregatos discipulos Spiritus sanctus descendit. Sanctam Passionem suam ab humilitatis nota auspicatus, vadit quidem in montem oliveti, sed ut ibidem orans humilietur, ut parvus fiat: *Procidit* (inquit Evangelista Matth. 26. v. 39.) *in faciem suam. Procidit in faciem suam* (inquit Origenes tract. 14. in Matth.) *quoniam pretium exaltationis est humilitas.* quasi diceret, optima & valentissima moneta apud DEUM, & in ipsius cœlesti Residentia est humilitas. humilitate honores in cœlo & terra emuntur. Hanc monetam Christus Patri obtulit, humilitate tandem ad ipsam Crucem se se offerendo: Philip. 2. v. 8. *Humilia- vit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & DEUS exaltavit illum & c.* ad, imò supra omnes cœlos.

Christum ex illo ipso monte Oliveti, in quo, ut dixi profunda cum humilitate genibus innixus inque

F f 3

faci-

§ 6.

Nemo cum Christo exaltatur, nisi prius cum Christo humilietur.

faciem prostratus oravit, ex eodem postmodum in cœlum ascenderit, & duro illi saxo sacra vestigia impressa usque in præsentem diem hominibus reliquerit videnda, quasi doctorum nos, ut si magni esse velimus, ipsūque aliquando cœlum attingere, ipsius vestigia sequamur, humiliando nos. Quod ipsum supra memoratus monet Bernardus: *Cupidus es Ascensionis, altitudinem naturali appetitu desideras? descende, ut ascendas; humiliare, ut exalteris. Quis vestrum potest ad staturam suam cogitans cubitum unum adijcere?* Luc. 12. v. 25. Quid vos homines, qui staturā vestrā, qui statu, in quem DEUS vos posuit, contenti non estis, cogitatis & desideratis majores & honoratiores esse? actum agitis, hoc enim naturaliter & solis naturæ viribus fieri non potest. Vultis causam scire, cur tam parvi maneatis? cur non exaltemini, nec coram mundo nec DEO & cœlo? Christum audite versu mox sequente sic loquentem: *si neque, quod minimum est, potestis.* Quod est minimum? *granum sinapis*, inquit Christus, granum sinapis testibus Patribus est, aut significat humilitatem; quia hanc non scitis, aut scire & exercere non vultis, non vultis vos peccatores agnoscere, minores, minùs doctos & aptos, quàm sint alij, alijs nō vultis cedere, debitū honorem & reverentiam exhibere, minùs honoratum locum eligere; sed quia cogitatione, verbis, & opere alijs vos præferitis, ideo in vestra parvitate, ideo sinè desiderio manetis honore, sinè spe, ut aliquando ad cœlum pertingatis. Hic enim magnitudinis, hæc honoris natura est: *fugientes sequitur, fugit sequentes* Seneca in carm. Verissimum

enim est, quod Veritas æterna apud Luc. c. 14. ait: *qui se exaltat, humiliabitur: qui se humiliat, exaltabitur.* Plenæ sunt historiæ, tum sacræ, tum prophanæ hanc Christi sententiam confirmantes. Exaltavit se Lucifer supra astra, humiliatus est ad ima inferni. Exaltat se Nabuchodonosor Dan. 4. v. 27. *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi &c.* humiliatur usque ad terram & bestias. Exaltat se Herodes divinos admittens honores *superbâ veste* Act. 12. v. 23. humiliatur paulò post à pediculis devoratus. Humiliat se Abraham Gen. 18. v. 27. pulverem & cinerem se agnoscit; exaltatur, *Pater credentium* effectus. Humiliat se Moyses, Exod. 4. v. 10. pro parum eloquente se agnoscens; exaltatur, DEUS Pharaonis constituitur. Humiliat se David, 2. Reg. 9. v. 8. cani mortuo se comparans; ad solium Israël exaltatur. Humiliat se Paulus 1. Cor. 15. v. 9. minimum Apostolorum se vocans; exaltatur; fit Princeps Apostolorum. Humiliat se Joannes, Joan. 1. v. 27. indignum reputans, qui solvat corrigiam calceamenti Domini; exaltatur in tantum, ut ipsius Christi testimonio non surrexerit *major Joanne.* *Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos.* Jacob. 4.

Ità verum est quod Antoninus ait: *Humilitas temporaliter semper exaltat.* Addo ego, æternaliter. Humilitas enim teste Climaco gradu 25. *Janua Regni cœlestis est. Janua JESUS est, ego sum ostium* Joan. 10. hanc nemo intrat, nisi fuerit humilis. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde* Matth. 11. *Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in Regno Cœlorum.* Matth. 18.

PRO-